

INTRODUCTIO

1. — Libri, quos dicimus Regum priores, *nomen et distinctionem* nacti sunt a LXX; prius enim *unicus liber* erant, *Samuelis* nuncupatus.

Manuscripta et antiquiores editiones hebr. duos libros non distinguunt; neque distinxit *Aq.*, cf. Hexaplam (15. 1442)¹. *Orig.* (20. 382), *Athan.* (26. 1177), *Cyrrill. Hier.* (33. 500), *Hier.* (Prolog. galeat.) testantur, unicum apud Hebraeos fuisse librum. Librorum distinctio, a LXX primum in usum inuenta, per Italam in *Vulg.* transiit atque hinc, simul cum capitulo distinctione, in Biblia hebr. reflexit iter. Liber apud Hebraeos simpliciter « Samuel » audiebat, a Samuelis historia initio descripta, cf. *Orig.* l. c. et titulos *Vulgatae*. « Regum », LXX « Regnorum » nomen a materia derivatum, quae in his libris inchoatur, in sequentibus absolvitur.

2. — Libri *auctorem et fontes* quod attinet, communem fere habes *antiquorum* sententiam, librum esse originis *propheticae*, a *Samuele, Gad* et *Nathan* conscriptum, adhibitis etiam pro altera eius parte fastis regni Davidici.

Princeps huius sententiae fundamentum habes 1 Par. 29, 29 : « Gesta autem David regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, et in libro Nathan prophetae, atque in volumine Gad videntis »; et 27, 24 : « Numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David ». Accedit *Ios.* c. Apion. l. 8 : « A morte autem Moysis usque ad imperium Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, *prophetarum* Moysae posteriores res sua aetate gestas libris complexi sunt ». *Kimchi* alique *Rabbini* tradidere, librum a *Samuele, Gad* et *Nathan* esse conscriptum. *Theodoret.* (80. 329), librum expositorum, haec scribit : « Plurimi fuerunt prophetarum, quorum libros quidem non invenimus, nomina autem didicimus ex historia Paralipomenon. Horum unusquisque consueverat scribere, quae contingebant suo tempore.... Alii autem quidam, cum illa collegissent, composuerunt librum Regnorum ». Quibus verbis *Theodoret.* iam duplicem distinguit quaestionem : primam, coaerentiae in nostram librum scripta illa Samuelis, Gad et Nathan; alteram, fuerint horum scriptorum collector seu editor ipse Nathan, trium illorum ultimus, an posterior aliquis Hebraeus. Cum *Theodoret.* affirmat *Diodor. Tars.* (33. 1588), ita librum Samuelis coaluisse, ut, « quae singuli prophetarum sui temporis gesta conscripsissent,

¹ His numeris Collectionis Patrum *Migne* tomum et columnam designamus; latini graecivo intelligantur Patres, vix non semper patet.

ea, qui post eos venerint, collegerint et compleverint. *Sanct.* : « De auctore horum librorum nihil habemus certum ex scriptura; neque auctores, qui variis ducentur coniecturis, quidquam afferunt, nisi dividendo. Sed illorum plerique in eo consentiunt, quod non ab uno, sed a pluribus longam illud opus contextum esse putant.... Est autem communis omnium ferme sententia, a Samuele scriptum esse librum primum ad caput usque 25, ubi de illius agitur interitu. Ab eo loco usque ad finem libri secundi, Nathan et Gad videntes, i. e. prophetae, scriptores existimantur.... Cum a variis libri illi conscripti fuerint, redacta tamen illorum scripta dicuntur in ordinem, et eo modo digesta, quem nunc habemus, sive a Ieremia, sive ab Esdra; neque deest, qui id factum putet ab Ezechia rege ». Ubi nota, quae recitatur plurimorum sententia, Samuelem scripsisse usque ad 1 Reg. 25, eam intelligendam esse sensu exclusivo, i. e. certe non ulterius scripsisse, et hoc sensu esse evidentem veram; sensu positivo, ut sc. Samuel omnia illa 25 capita scripserit, non nisi « dividendo » quis eam sententiam affirmare potuerit. Ipse *Sanct.* Samuelem, Gad et Nathan statuit auctores, editorem Isaiam vel Ezechiam coniectat. Concoerdat *Lap. Iuclius* (Demonstratio evangelica, Paris 1679. p. 158). *Du Clot* (La Sainte Bible vengée, IV. 6. Paris 1816) sententiam, quam illos tres prophetae scribit auctores, « satis communem » pronuntiat. Eandem *Goldhaagen* (Introd. in S. Scripturam. II. 98, Moguntiae 1766) vocabat « maxime communem, quam et Iudaeorum magistri et Patres : Theodoret., Greg. M., Procop., Isid. Pelus., Eucher., et praecipui interpretes cum Sorario et Corn. a Lapide sequuntur ». Defenderat *Calm.* « primum, ambos hosce libros ex originalibus authenticis et coaevis monumentis fuisse digestos; secundo, operis auctorem », i. e. collectorem seu editorem, « coaevis quidem non esse, ac serius (incertum tamen, quo tempore) scripsisse; tertio, quis potissimum auctor ille fuerit, latere ». Inter recentiores, *Herbst-Wölff* (Einleitung II. 153, Karlsruhe u. Freiburg 1842), *Scholz* (Einleitung II. 325, Koeln 1843), *Himpel* (Tübinger Quartalschrift 1874 p. 276 sqq.) et *Kaulen* (Einleitung II. 190, Freiburg i. B. 1881) scripta Samuelis, Gad et Nathan fontibus adnumerant, e quibus noster liber prodierit; annales tempore Davidis existisse, contra 1 Par. 27, 24 negat *Herbst*, rationem nullam afferens. E protestantibus accedunt *Haevernick* (citat. a de Wette p. 229) et *Keil* (Commentar, Leipzig 1864; etiam Einleitung §. 53, Frankfurt a. M. 1839); alter annales Davidi coaevis negans, sed notata quaedam ab eius cancellario conscripta concedens, quae distinctio vix est cuiusquam momenti. Eosdem fontes admittit *Thenius* (Die Bücher Samuelis XXII., Leipzig 1842), sed alios arbitrarie affingit.

Licet cum auctoribus catholicis facile concedamus, ex *solis* textibus 1 Par. 29, 29; 27, 24 fontes et auctorem nostri libri non certo erui, improbandam tamen omnino censemus recentiorum protestantium illorum licentiam, qui, iis textibus penitus neglectis, ope artis pseudo-criticae, varios effluxere fontes et fragmenta, e quibus noster liber coaevit.

Et varios quidem fontes omnes admittant, hoc iam artificitio nisi argumento, eiusdem eventus discrepanti ratione repetitas narrationes, vel etiam apertas contradictiones, nisi supposita fontium pluralitate, explicari haud posse. *Eichhorn* (Einleitung II. 512 sqq., Leipzig 1803) annales regni Davidici negavit, eorumque loco suppositum brevem aliquam Davidis vitam, post Salomonem, e documentis tamen coaevis concinnatam, quam tum auctor libri Samuelis, tum auctor 1 Par. suo quisque modo am-

plificaverint. *Bertholdt* (Einleitung III. 903 sqq., Erlangen 1813) putavit, iam duas diversas antiquitus brevis illius vitae exstuisse amplificationes, quarum alteram noster auctor, alteram auctor 1 Par. secutus sit. Postquam dein *Augusti* (Einleitung p. 164) et *Anonymus* (in Paulus's Memorabilien VIII. 61 sqq., ambo citati a *Bertholdt* p. 911) initium fecere libri Samuelis in varios centones arbitrarie dissecandi, primus *Gramberg* (Religions-Ideen, Berlin 1829, ap. de Wette p. 225) in historia Saulis duas distinctas narrationes secrevit, quarum priori assignantur 1 Reg. 9, 1-10, 16; 11; 13, 1-17, 53; 18, 6-23, 42; 28, 3-25, 31; 2 Reg. 5, 6-12; 6-8; 21; 24; alteri 1 Reg. 8; 10, 17-27; 12; 17, 55-18, 5; 25, 43-28, 2; 29; 30; 2 Reg. 1, 1-3, 5; 9-20. Quem *Then.* pronuntiat, partes toto coelo diversas in unum coniecisse. Non absimilem distinctionem adhibuit *Stachelin* (ap. de Wette p. 226), quem laudat *de Wette* (Einleitung I. 328, Berlin 1852). Ipse *Then.* quinque expiscatur documenta: primum, historiam Samuelis 1 Reg. 1-7; secundum historiam Saulis ex traditione haustam, 1 Reg. 8; 10, 17-12, 25; 15; 16; 18, 6-14; 26; 28, 3-25; 31; tertium, brevem historiam Saulis ex documentis concinnatam, 1 Reg. 9, 1-10, 16; 13; 14; quae historia quarto ab alio quodam auctore continuata est, addita insuper historia Davidis, 1 Reg. 14, 52; 17; 19; 20; 22; 24; 25; 27; 28, 1 sq; 29; 30, et ex parte Cap. 18; 21; 23; tandem 2 Reg. 1-8; quinto loco accedit historia Davidis specialis 2 Reg. 11-20. Quam methodum non inepte *Graf* (Die geschichtl. Bücher des A. T., Leipzig 1866, VII) appellavit « das gedankenlose Kartenmischen der Fragmentenhypothese ». Quae vero ipse p. 97 sqq. profert, totam operis descriptionem Iehovistae et Deuteronomistae attribuens, nihil meliora sunt. *Bertheau* etiam (Schenkel's Bibel Lexicon V. 164 sqq., Leipzig 1875) in historia Saul duas secrevit narrationes A et B.

Si interroges, quae ratione diversi hi fontes in unum fuerint coagmentati, respondet *Bertholdt* p. 893, nequaquam librum esse continuum aliquod, cuius partes secundum aevum vixerit criticis ignaro, et totus fuerit in variis documentis more Orientalium compilandis; *de Wette* e contra p. 222 sq. effuse librum laudat, « quod omnino historiam sapiat, quod sit haustus vel ex coaevis documentis, vel certe ex orali traditione maxime viva et fida, raro tantum obscura et confusa, quod ita excellat in exprimendis hominibus et rebus, ut ea in re optimos historiarum scriptores aemuletur, et quandoque in biographiam transeat, quod naturalem gestorum nexum saepe valde sufficienter, licet non sat clare, exhibeat ».

Si tandem tempus concinnati libri exquiras, auctores recentiores intra eos limites se continent, quos iam antiquiores defnierant. *Ezechiae* tempus assignat *Stachelin*, *Iosiae de Wette*, ultima regni Iudaici tempora *Bertholdt*, tempus ante saeculum octavum *Bertheau*, initium captivitatis *Etchhorn*; regnum vero Roboam *Then.*, tempus Davidis mortem proxime consequens *Haevernick* et *Scholz*, dum *Herbst* et *Keil* affirmant, se unico textu 1 Reg. 27. 6 prohiberi, quominus librum ante divisa regna conscriptum affirmet. — Varias has recentiorum sententias dilucide exposuit et discussit *Himpel*, l. c. p. 265 sqq.

Recensuimus opiniones illas, quae fere usque ad nostra tempora praevaluerunt. Sed iam aliud animos occupat systema. Cuius initia repetuntur a *L. George* (Die alteren jüdischen Feste, mit einer Kritik der Gesetzgebung des Pentateuch, Berlin 1835) et *W. Vatke* (Die biblische Theologie, Berlin 1835), et amplificata fuere ab *E. Reuss* (L'histoire sainte et la Loi, Paris 1879. — Die Geschichte der hl. Schriften A. T., Braunschweig

1882) et nuperius a *I. Wellhausen* (Prolegomena, Berlin 1883). Systematis summa haec est.

Pentateuchi Wellh. tres distinguit partes : Deuteronomium ; Librum generationum seu Codicem sacerdotalem, cuius pars potissima Leviticus, et Narrationem Iehovisticam ceteris duobus antiquiorem. Deut. Iosiae tempore repertam et probabilius etiam confectam atque, conspirantibus tam sacerdotibus quam prophetis, vim legis nactum est, qua cultus, qui eousque in pluribus excelsis legitimus fuisset, iam ad solum excelsum Sion i. e. templum restringeretur. Codex vero sacerdotalis, Deuteronomio recentior exilioque posterior, eo animo astute est concinnatus, ut qui cultus inde a Iosia per Deut. unice legitimus evasisset, idem Moysis iam tempore ostenderetur in cultu arcae foederis esse observatum ; foederis enim arca, qualem Lev. describitur, nusquam antiquitus existebat. Dein durante item exilio libri historici antiquiores, Iudicum sc., Samuelis et Regum, eo fine fieri ad limam revocati, ut severiori illi posterioris aevi religioni adaptarentur : arcae mentio quandoque inserta, sacerdotum et levitarum eminentia commendata, observatae legis praemia neglectaeque poenae exhibitae. Quibus perspectis haud mirabere, s. textum a Wellh. in plures etiam, quam a Themo aliusque, censes discerpi. Exemplo sit historia Samuelis 1 Reg. 1-7, quam auctores alii intactam fere reliquerunt, quod tam evidens sit narrationis unitas.

Igitur 1 Reg. 7, 2 sqq. docemur, arcam viginti annis in Cariathiarim substituisse, inde universum Israel Maspham ad Samuelem convenisse, poenitentiam egisse, Philisthaeos proelio fuisse. Cuius narrationis ne verbulum quidem verum esse, affirmat Wellh. : quomodo enim haec omnia unico die (!) agi potuere ? cutusnam sceleris admisi Israelitae poenitentiam egere ? Haec e Deuteronomii mente fieri inserta ; tota rerum gestarum narratio, ut in Iudicum libro, illi tesserae adaptata, ut defectionem a Deo consequatur adversitas, adversitas generet poenitentiam, poenitentia procuret victoriam et pacem ; Iehova exhibetur tanquam alpha et omega totius historiae populi Iudaici, omnia ad eius cultum revocantur. Cur autem haec Samuelis prae ceteris historia ita fuerit defigurata, accipe. Habebatur siquidem postmodum Samuel (cf. Ier. 15, 1) unus ex praecipuis aevi antiquioris sanctis. Eiusmodi sanctum oportebat operam saltem aliquam continuisse in Dei cultu restitendo : hinc populi infidelitas aliena. Tam sancto imperante iudice, non potuit perderasse Philisthaeorum oppressio : hinc Samueli insignis de illis victoria attributa, qui 7, 13 etiam affirmantur tota eius vita non esse ausi Iudaeis bellum inferre, cum tamen constet Samuele superlito omnia illis arma ademisse.

Ex quibus iam patet, Wellh. sententiae veterum haud favere, quae Samuelem, Gad et Nathan libri docet fuisse auctores. Qua sententia semel admissa, pessum it hypotesis de libro nonnisi post exilium in praesentem formam redacto. « Errare putaverim eos », inquit Wellh. p. 308 sqq., « qui prophetas existimant historiae populi Hebraei scribendae fuisse auctores. Minime omnium a prophetarum coetibus Galgalis vel atibi degentium res gestae tradi coepitae sunt. Narrationem non prophetae concinnare, sed eandem postmodum interpretati sunt tantum. Non tantopere illis, ne gesta memoria hominum exciderent, intererat, ut eis scripto narrandis manum ipsi admovent, sed id tantum praestitere, ut eorum narrationem ab aliis profectam retractarent suisque sensibus conformarent.

3. — Variorum opiniones de fontibus libri Samuelis descripsimus : nunc ipsos fontes demonstrare conabimur. Unicus fons explicitè citatur,

Liber Iustorum 2 Reg. 1, 18, ex quo desumptus dicitur luctus David super Saul et Ionathan. Alia cantica libri, v. g. 1 Reg. 2, 4-10, indidem esse desumpta, non ausim affirmare. Verum cum libro Samuelis cum 1 Par. collato efficitur, existisse alium quemdam fontem, ab utroque diversum, ex quo utriusque libri inspirati auctor acta Davidis plurima descripsit.

Accipe utriusque libri pericopas parallelas :

1 Reg. 31	: 1 Par. 10. 1-12	2 Reg. 6. 1-11	: 1 Par. 13. 1-14	2 Reg. 11. 1	: 1 Par. 20. 1.
2 Reg. 3. 2-5	: 3. 1-4.	6. 12-16	: 15. 23-29.	12. 29-31	: 20. 2 sq.
3. 1-3	: 11. 1 sq.	6. 17-20	: 16. 1-3. 43.	21. 18-22	: 20. 4-7.
3. 3	: 3. 4	7	: 17.	23. 8-39	: 11. 11-41
5. 6-10	: 11. 3-9	8	: 18.	24	: 21.
3. 11-25	: 11. 1-16	10	: 19.		

Quos locos verbotenus, ut plurimum, inter se concordantes tibi contuleris, illico perspicies, ex communi fonte esse derivatos. Ex communi, inquam, fonte, a libris tam Samuelis quam Paralipomenon distincto : nam iuniorum Paralipomenon librum non hausisse directe ex Samuelis libro, inter alia inde patet, quod 1 Par. in textu narrationis ceteroquin identico quadam retinuerit momenta, quae ad integritatem narrationis pertinent, neque tamen cum sufficienti ratione adstrui possunt aut ex aliis documentis in 4 Par. esse translatae, aut ex 2 Reg. incuria librarium, excidisse ; et quod 1 Par. longiores quasdam addat narrationes, quae omnino videntur primitus contextae fuisse illi, quae 2 Reg. narrantur, sed, quod ad eius libri ideam non ita necessario conferunt, in eodem fuisse suppressae.

Ad 1^m. — 1 Par. 11, 4-6 ita habet : « Abiit quoque David et omnis Israel in Ierusalem, haec est Iebus, ubi erant Iebusitae habitatores terrae. Dixeruntque, qui habitabant in Iebus, ad David : Non ingredieris huc. Porro David cepit arcem Sion, quae est civitas David ; dixitque : Omnis, qui percusserit Iebusaeum in primis, erit princeps et dux. Ascendit igitur primus Ioab, filius Saruiae, et factus est princeps ». Haec narratio omnino clara est, optime quadrat cum antecedentibus et sequentibus, et speciatim rationem assignat facti de se nonnihil mirandi, quod sc. Ioab, qui occiso Abner, regem graviter offendisset, tamen imperio militari non fuerit privatus : Ioab quippe novo praefecto de rege bene meritis est. Iam haec eandem narrationem 2 Reg. in eodem contextu exhibet : cf. 2 Reg. 5, 3 cum 1 Par. 11, 3, 2 Reg. 5, 9 cum 1 Par. 11, 7. Tamen haud levis est differentia, Iebusaeorum enim verba sic referuntur : « Non ingredieris huc, nisi abstuleris caecos et claudos, dicentes : Non ingredietur David huc. Cepit autem David arcem Sion, haec est civitas David. Proposuerat enim David in die illa praemium, qui percussisset Iebusaeum, et tetigisset domatum fistulas, et abstulisset caecos et claudos odientes animam David. Ideo dicitur in proverbio : Caecos et claudos non intrabunt in templum ». Textus nequeant corruptione unius ex altero esse orti ; historicam eventuum seriem 1 Par. retinuit : quomodo igitur ortus est textus 2 Reg. ? Adverte libri Samuelis auctorem proverbium, occasione aliquis eventus natis, libenter uti ad veritatem ipsius eventus firmius in animis legentium stabilendam : cf. 1 Reg. 10, 12 ; 19, 24. Voluit ergo etiam ut proverbio, occasione captae Sion nati, ad veritatem et rationes illius eventus confirmandas : ideo illud textui fastorum inseruit, omissis quae de Ioabo dicebantur. 1 Par. vero ex ipsis fastis textum mutuatus est, non ex 2 Reg., secus istud etiam proverbium transsumpsisset,

factum Iobai ignorasset. — 1 Par. 13, 1-5 fusus traditur historia initi a Davide consilii reducendae arcae, quod summarie tantum refertur 2 Reg. 6, 1: ergo exstabat fons a 2 Reg. diversus, in quo fusus quaedam narrabantur, et ex quo auctor 1 Par. hauserat. — 1 Par. 27, 24 testatur, auctorem 1 Par. revera usum esse fonte aliquo, tempore ipsius David exarato, in quem regis acta minutim referebantur, qui tamen a 2 Reg. esset diversus: nam ille fons numerum non exhibebat, quem 2 Reg. 24, 9 scriptum legitur.

Ad 2^{am}. — Evidentius argumentum ex illis locis petitur, quibus 1 Par. primitivum narrationis contextum servavit, a 2 Reg. neglectum. Elenchus virorum fortium, qui 2 Reg. 23, 8 sqq. post verba Davidis novissima appendicis instar recensetur, omnino convenienti contextu 1 Par. 11, 10 subiectitur narrationi captivae a Davide arcis Sion, et quidem hoc versu, quem 2 Reg. ignorat: « Hi principes virorum fortium David, qui adjuverunt eum, ut rex feret super omnem Israel iuxta verbum Domini, quod locutus est ad Israel ». — Translatio arcae 1 Par. 13, 1-16, 43 narrari videtur eo ordine, quo reapse habita est et in documentis primitus describebatur, dum 2 Reg. ea fere omnia omittuntur, quae 1 Par. 15 et 16 narrantur. Verba 15, 2: « Illicitum est, ut a quocunque portetur arca Dei, nisi a levitis », explicite respiciunt peccatum Ozae. Ergo auctor 1 Par. documentum prae oculis habebat, in quo eventuum successio verius et completius describebatur. — Bella contra Philisthaeos, 2 Reg. 21, 18-22 abrupte rotata, 1 Par. 20, 4-7 apte Ammonitico subiectuntur. — Ex 1 Par. 22 patet, pestilentiae ob numeratum populum subortae cum fuisse finem, ut miraculosa angeli apparitione locus extruendo templo designaretur; dum 2 Reg. 24 narrationem truncat. — E contra aliqua, quae ab auctore 1 Par. ignorata liber Samuelis enarrat, suo loco et naturali chronologico contextu inserta esse demonstrari minime possunt; sic, quae 2 Reg. 9 de Miphiboseth gratiose recepto, 21, 1-15 de famo ob Saulis iniustitiam suborta narrantur.

Ex quibus omnibus efficitur, auctorem 1 Par. non ex libro Samuelis, quae utrique libro communia sunt, desumpsisse, sed aliud documentum adhibuisse, quo eventuum successio verius et, ut plurimum, completius exhibebatur. Cum vero auctorem libri Samuelis et auctorem 1 Par. communi fonte usos esse, ex textu in bene multis capitibus identitate certo constat, ergo ex illo documento ambo hauserunt. Cf. *Eichhorn* p. 508 sqq., *Bertholdi* p. 904 sqq., *Scholz*, p. 419 sqq.

Illa fons, ex quo tam auctor libri Samuelis, quam auctor 1 Par. hausere, probabiliter videtur fuisse illi « *fasti regis David* », qui 1 Par. 27, 24 citantur.

Eo textu docemur, existisse documentum publicum, cui nomen « verba dierum regis David », *Vulg.* « fasti ». In illos fastos referri consuevit regni memorabilia, inde concludimus, quod l. c. specialis proferatur excusatio, cur numerus populi a Iobai recensiti non fuerit illis fastis insertus. Cum igitur hinc certo habeamus fastos Davide rege conscriptos, illic certe demonstretur coaevus fons, ex quo auctor libri Samuelis acta Davidis plurima derivaverit, summe probabile evadit, hunc fontem eundem esse atque illos fastos. — Accedit, quod eae historicae narrationes, quae aut utrique s. auctori sunt communes, aut a solo 1 Par. auctore, sed cum istis intime contextae, referuntur, omnes respiciant *publicam historiam*, non solius tribus Iuda, sed totius populi Israel; eae vero, quas 2 Reg. de suo addidit, ad solam *privatam historiam*, sive tribus Iuda sive familiae Davidicae spectent. Ita 2 Reg. 14 historia Davidis nondum ab omnibus tribubus agniti narratur; 2 Reg. 9 et 21, 1-14, quae domum David inter et domum Saul obtigerunt; 2 Reg. 11-20 adulterium Davidis atque secutae inde do-

meticae dissensionis et publicae perturbationis. Hinc non immerito concludimus, illud, ex quo uterque auctor hausit, documentum non aliud esse, quam fastos 1 Par. 27, 24. Fasti quippe regum Orientis non nisi publica eaque fausta acta narrare consueverant.

Ubi illud advertimus, praefero nos *fastorum* nomen a *Vulgata* consecratum, alteri quod frequenter in hac disputatione usurpatur, *annalium*. Annalos quippe dicunt eventus ordine annorum chronologicè descriptos; dum fastos non necessario oportet ordine stricte chronologico esse digestos. Cuius rei illustre exemplum nuperius ex obliivione umbris in lucem prodit, regis sc. Assyriorum Teglathphalasar sine annales, illic fasti, characteribus cuneiformibus exarati et ab *E. Schrader* (*Die Keilschriften und das Alte Testament*, Giessen 1871) primum expliciti. Imvero in historia regni Davidici 2 Reg. 5-10 ex fastis hausta res ordine potius reali, quam stricte chronologico referri, suo loco ostenditur.

Liceat hic paucis expedire sententiam *Eichhorn* p. 512, quae de publica Davidis historia narrantur, non ex fastis immediate esse hausta, sed ex vita quadam Davidis compendio scripta. Rationes exigui sunt momenti. Quare, inquit, fasti nullibi citantur? Sed compendium istud neque citatur. Liber Samuelis in citandis fontibus perquam est ignavus, semel tantum 2 Reg. 1, 18 fons citatur. 1 Par. semel saltem 27, 24 non obscure fastos ut fontem citat. — Quare auctor 1 Par. non etiam Saulis historiam ex illis fastis descripsit? Quia fasti illi erant « regis David », non regis Saul. Concinnatio esse annales regnante Saul, nullo argumento stabiliri potest; in eius aula 1 Reg. 14, 50 sqq. nullus videtur ex officio constitutus fuisse, cui « scribae » aut « commentariis » titulus esset, cf. 2 Reg. 8, 16 sqq.; 20, 23 sqq. Tandem non erat auctori 1 Par. mens scribendae historiae regis Saul, id praeter eius scopum fuisset. — Quare stilus in iis partibus, quae utrique libro sunt communes, concisus est, in reliquis diffusior? Quoad librum Samuelis responderi potest, causam esse scribendi diversam rationem prophetarum et fastorum. Quoad 1 Par. illa diversitas non est ita evidens; 1 Par. 12; 16; 22 vix differunt stilo a reliqua narratione. Neque tandem supponere fas est, regem David plus quam triginta annis unico usum esse annalista; in eiusmodi officiis alios alii succedere patet, cum ex natura rei, tum ex collatis inter se 2 Reg. 8, 16 sqq. et 20, 23 sqq.

Cum tam auctor libri Samuelis, quam auctor 1 Par. ex fastis plura transumpserint, dein utriusque libri textus decursu temporum multipliciter depravatus fuerit, sane non paucis in locis alterutrius libri textus ex alterius libri textu emendari potest et debet.

Quod cum per se evidens sit, clarius etiam patet iis textibus, quibus numeralla et propria nomina, quae primitus utrobique eadem fuisse oportebat, nunc diversa leguntur. Aliud insigne exemplum eadem fuisse oportebat, nunc diversa leguntur, filius Hachamoni, princeps inter triginta; ista levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice », ita defigurata leguntur: « Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse Hadino Hemitia super octingentos vulneratos una vice ».

Verum interpretes aliqui protestantes recentiores in eiusmodi textus emendationibus adhibendis aequo sunt longe liberaliores, quasi pro certo supponere liceat, auctores inspiratos fastos verbotenus descripsisse. Quae suppositio gratuita est et falsa. *Uterque inspiratus auctor fastos*

non verbotenus semper exscripsit; de rebus exprimentis sollicitus fuit, non ita de verbis.

Id proprie de uno auctore 1 Par. probasse sufficeret, quo licentia cohibeatur unum ex altero corrigendi. Et primum quidem auctor 1 Par. non dubitavit orthographiam antiquioris narrationis suis temporibus accommodare, multo frequentius usus scriptioe plena. Nomen Oza constanter scribit לֹזָא pro לֹזָה, 1 Par. 13, 9-11, cf. 2 Reg. 6, 6-8 (cf. tamen v. 3); וְרָבָא 1 Par. 20, 4 sqq. pro רִבְבָה 2 Reg. 21, 18 sqq. — Varias praepositiones, particulae et pronomina, varias verborum et nominum formae inter se commutantur. Cf. 1 Par. 17, 16; 21, 10. 17 (in hoc versu bis) אַחֲזִי pro אַחֲזִי 2 Reg. 7, 18; 21, 12. 17. — 1 Par. 11, 1 וְיִבְיָאֵהוּ pro וְיִבְיָאֵהוּ 2 Reg. 5, 1. — 1 Par. 14, 8 passivum נִמְשָׁח pro activo נִמְשַׁח 2 Reg. 5, 17. — 1 Par. 10, 12 hiphal וְיִבְיָאֵהוּ pro kal וְיָבֵא 1 Reg. 31, 12. — 1 Par. 16, 1 plur. וְיִקְרָבֵי pro sing. וְיִקְרָב 2 Reg. 6, 17. — 1 Par. 14, 1 infin. לְבַנְיָהוּ pro verbo finito וְיִבְנֶהוּ 2 Reg. 5, 11; item 1 Par. 17, 25 לְבַנְיָהוּ pro 2 Reg. 7, 27 לְבַנְיָהוּ. — Formis obsolete substituantur magis usitatae: 1 כְּבֹלָה 2 Reg. 5, 12; 7, 12. 16 (cf. etiam 7, 13) constanter scribitur לְבַנְיָהוּ 1 Par. 14, 2; 17, 11. 14; — vox אַחֲזִי 4 Reg. 31, 4. 3. 6. 7; 5, 6 studioso evitatur 1 Par. 10, 1. 3. 6. 7; 11, 4; — vocis גִּיבְיָהוּ 1 Reg. 31, 12 bis substituitur 1 Par. 10, 12 גִּיבָה; — tam 1 Par. 14, 9 quam 14, 13 loco וְיִמְשַׁח 2 Reg. 5, 18. 22 legitur וְיִמְשָׁח; — pro 2 Reg. 6, 16 בִּשְׁבוּ, forma uti videtur antiquata, ponitur 1 Par. 15, 20 בִּרְכָק. — Synonyma in synonymorum locum succedunt. Sexcenties voces כִּיךְ et דָּוִד, וְיִשְׂרָאֵל et יִשְׂרָאֵל permutantur. Frequentissime pro יִשְׂרָאֵל scribitur יְהוָה. Etiam pro idolorum vocabulo 1 Reg. 31, 10; 2 Reg. 5, 21, quod in horrore erat, 1 Par. 10, 10; 14, 12 vox אֱלֹהִים ponitur. Pro 1 Reg. 7, 12 תַּרְכָּהוּ scribitur יִשְׁכַּנְתָּהוּ 1 Par. 17, 11; pro יִשְׁכַּנְתָּהוּ 1 Reg. 7, 11 יִבְנֶהוּ 1 Par. 47, 10; pro וְיִקְרָבֵי 1 Reg. 31, 12 וְיִשְׁכַּנְתָּהוּ 1 Par. 10, 12; 2 Reg. 5, 20 בּוּדֵי 1 Par. 14, 11; pro בְּהַבְרֹז 2 Reg. 5, 5 שֶׁם 1 Par. 3, 4; pro יְחַנְנוּ לֶךְ 2 Reg. 7, 24 וְתַנְנוּ 1 Par. 17, 22; pro וְרָבָא רִדְפָךְ 2 Reg. 24, 13 וְרָבָא לְשִׁבְעָהוּ 1 Par. 21, 12. Vox בְּרִית 1 Par. 15, 25. 28. 29; 17, 1 (cf. 2 Reg. 6, 12. 15. 16; 17, 2) inseritur. — Glossae quaedam adduntur: 1 Par. 11, 3 (cf. 2 Reg. 5, 3) « iuxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Samuelis »; 1 Par. 11, 4 (cf. 2 Reg. 5, 6) « haec est Iebus »; 1 Par. 13, 6 (cf. 2 Reg. 6, 1) « Cariathiarim ». — Non raro narratio contrahitur, constructio mutatur. — Quae variantes, tum propter numerum, sunt enim in paucis illis capitibus parallelis fore quingentae — tum propter magnam deviationem, nulla ratione amanuensium incertae omnes tribui possunt. Sed dicendum est, auctorem Par. in describendis fastis Davidicis magna libertate usum esse, modificando voces et sententias; quod inspirationi nulla ratione officit. Plura apud Eiehorn p. 500 sqq., Scholz p. 413 sqq.

Auctor libri Samuelis pressius utique videtur textui annalium adhaesisse, non tamen serviliter. Siguidem et ordinem eventuum chronologicum quandoque subvertit, et narrationem aliquoties, quod ex 1 Par. perspicimus, compressit, et vocabulum Baal ex nominibus propriis religiose eliminavit: Isobeth 2 Reg. 2, 8, Filoda 5, 16, Miphiboseth 9, 6 loco Esbaal 1 Par. 8, 33; 9, 39, Baalinda 14, 7, Meribbaal 8, 34; 9, 40.

4. — Expedita iam de fastis David disputatione, reliquum textum examinabimus et eius, quae discerni possint partes, disquiremus. Primum vero aliqua nobis dissecandi textus ratio a *Then.* invecta eliminanda est.

Invenit is 1 Reg. 14, 47. 51; 2 Reg. 8, 15-18 et 20, 23-26 tria summaria invicem satis similia. Priori loco Saulis bella breviter recensantur, uxor, liberi et princeps exercitus describuntur; altero item loco, Davidis bellis breviter enarratis, potissimi aulae ministri nominibus appellabatur; idemque repetebantur tertio loco, quo, nisi suo loco ostendimus, narrandae ex ordine historiae regni Davidici finis imponitur. Unde *Then.*, tum quod eiusmodi summaria narrationem convenienter claudere videntur, tum quod summarium 20, 23-26 reapse narrationem concludat, putavit etiam alius illis duobus locis summaris hinc « breviarium vitae Saulis », illinc « breviarium vitae Davidis » concludi. At fallitur illatio. Primum enim eisdem formae summaria etiam habentur 2 Reg. 3, 2-5 et 5, 13-16, ubi ne *Then.* quidem narrationem dividit. Insuper duobus locis ultimo appellatis, sed et etiam 2 Reg. 8, 15-18, illa summaria non ab auctore inspirato excogitata, sed e fastis Davidicis transumpta sunt; quod patet comparatione cum 1 Par. 3, 1-3; 14, 3-7; 18, 15-17. Ergo non fuerant in librum Samuelis introducta ea intentione, ut eius varia membra distinguerent. Tandem eorum summariorum diversa omnino est ratio. Sicut sc. noster auctor regni cuiusque initio novi regis aetatem et regiminis annos describit, cf. 1 Reg. 13, 1; 2 Reg. 2, 10 sq.; 5, 4 sq.; quem usum etiam auctor 3 et 4 Reg. servavit: ita, quoties alicuius regis auctoritas firmatam nacta est, ut insigne firmitatis incrementum, regis familiam s. auctor recenset. Ita 1 Reg. 14, 47 sqq. post Saulis bella feliciter gesta enumerata, liberorum, uxoris, principis militiae nomina tradit. 2 Reg. 3, 1 sqq., ubi de Davida, principatu tribus Iuda potio, dixit « David proficiens et semper se ipso robustior », filiorum eius nomina describit. 2 Reg. 5, 12 sqq. « Et cognovit », inquit, « David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel », et pergit describere nomina filiorum, qui nati sunt Davidi in Ierusalem. 2 Reg. 8, 15 sqq., post enumerata regis bella, et rursus 20, 23 sqq., post compositam Absalomis seditionem, nomina tradit primorum aulae ministrorum. His utique supremo loco narratio absolvitur; tamen de se eiusmodi summaria non necessario sunt narrationis clausula.

Iam *universae narrationis quinque distingui partes*: 1 Reg. 4-7 Historiam Samuelis, 8-16 Historiam Saulis, 17-31 Historiam David exulis, 2 Reg. 1-20 Historiam David regis, 21-24 Appendicem. De singulis iam seorsim partibus tractabimus.

Historia David regis Historiae David exulis tam intime est contexta, ut, si liberit, eiusdem continuatio appellari queat. Iam divisio narrationis in historiam Samuel, Saul et David perantiqua est et patentissima; sed recentiores non omnes singulas partes huiusmodi capitulum numeris circumscribunt. Sic. v. g. *Vigouroux* (Manel biblique, Paris 1883, II. 68) historiae Samuelis cap. 1-12, historiae Saulis cap. 13-31 tribuit; *Clair* (I. 5 sq.) historiae Saulis cap. 8-31. Septem priora primi libri capita ut distinctam Samuelis Historiam statuit *Berthold*, qui primus p. 894 sqq. et 915 sqq. totam, qualem nos, divisionem proposuit, *Then.*, *Keil*, p. 12. *Clair* I. 5. Appendicem *Berthold* nonnisi dubitanter admisit; cum, ut a nobis statuitur, adstruxere *Anonymus* quidam et *Iahn* (apud *Berthold* p. 912. 925), *Then.*, *Bertheux* (p. 166), *Vigouroux* (p. 69); tacito appendicis nomine, etiam *Keil* (p. 331) et *Clair* (II. 130). Sed varias eius partes cum praecedente narratione non tamquam eiusdem partes continuas cohaerere, iam agnovere antiquiores suis locis citandi, v. g. *Sanct.*

5. — HISTORIA SAMUELIS 1 REG. 4-7. Haec capita defendimus substantialiter *unius esse auctoris*.

Ex una idea, non sine arte, tota narratio disponitur. Dividitur ea quippe in *septem paragraphos*, quarum *prima* 1, 1-2, 41 Samuelis nativitatem enarrat, reliquae omnes brevi aliqua sententia Samuelis personam attingunt, inde ad alia narranda progrediuntur. *Secunda* paragraphus 2, 11-17 verbis incipit « Puer autem erit minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis »; dein exponitur peccatum filiorum Heli. *Tertia* 2, 18-21, post verba « Samuel autem ministrabat ante faciem Domini », Annas pietatem et fecunditatem commemorat. *Quarta* 2, 21-25 « Et magnificatus est, i. e. crevit, » puer Samuel apud Dominum »; dein describitur Heli in filios praevicatoris lenitas. *Quinta* 2, 26-36 « Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Domino quam hominibus »; sequitur viri Dei in Heli oburgatio. *Sexta* 3, 1-18 « Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli »; traditur visio Samueli facta. *Septima* 3, 19-17 « Crevit autem Samuel et Dominus erat cum eo »; narrata strage apud Lapidem Aditiorum accepta, et victoria in eodem postmodum loco consecuta, concluditur 7, 13-17 summaria quadam descriptione gestis a Samuele iudicis officii. Quae narrationis in septem huius capitibus *symmetria* tanta est tamque ingeniosa, ut ex illa *ad unitatem auctoris* iusta pateat conclusio.

Auctor horum capitum est Samuel.

1) Ex una parte tota narratio secundum epochas quasi inventus Samuelis, diarii instar, distribuitur; ex altera parte, quae Samueli poterant laudi verti, concinne narrantur, ut eius persona lateat potius, quam appareat. Exemplo sit 7, 8 sqq., ubi nulla Samuelis refertur oratio, licet sine dubio habita sit, et digna fuerit quae referretur, et post septem prima capita 8, 10 sqq.; 12, 1 sqq. duae eiusmodi orationes referantur. Modestum hoc de se ipso silentium sane dignum est omnino *iuvenc sancto*, qualis tum erat Samuel.

2) Nihil narratur, quod non optime nosse poterit Samuel, imo debuert; plura narrantur, quae solus ipse ita nosse poterat: ea, quae familiam Eleanae spectabant, oburgatio viri Dei 2, 27 sqq., quae sane non fuit publica, visio Samuelis. In qua praecipuis notanda sunt verba 3, 3, tempus visionis describentia illud, quo lampas sanctuarii nondum esset extincta (*Hebr.*): qui describendi modus non nisi ab eo adhiberi potuit, qui tempore visionis intra sanctuarium fuerit. Dices, potuisse haec a Samuele narrata ab altero literis esse mandata: verum, cum ex 4 Par. 29, 29 constet, ipsum Samuelem quaedam conscripsisse, summopere probabile apparet, haec ipsa ex eius calamo prodixisse.

3) Affectus narrationem pervadens Samuelem prodit auctorem: est is doloris de sacerdotum praevicatione, filialis in Heli pietatis, ardentis amoris legis et arcae. Dum ipse, medellae malis publicis afforenda adiuic impar, adolescens, anxie observat ingravescentem continuo perniciem, contemptam legem, profanata sacrificia, neglectas propheticas voces.

4) Narrator assiduus est in quibusdam factis stabilientis, quae, ut evidenter demonstrarentur, praeceteris Samuelis summopere intererat; et in illis stabilientis iis utitur argumentis, quae ipso Samuelis aevo plenam obtinebant vim, non item postea. Sunt oia facta, quae amissam arcam et recuperatam attinent. Nonne Samuelis summopere intererat, ut amissa primum arcae ratio, gentis sc. et pontificum sacrilega praesumptio, probe ab omnibus intelligeretur, cum ipse 3, 21 populum ad nefastum illud praelium evocasset et, secuta clade, eius utique prophetica auctoritas apud plures fuisset concessa? Ergo primis capitibus totis est in illa praesumptione graphicè describenda, in futurae clavis vaticinalis enarrandis. Recuperata rursus arca Samuelis

auctoritatem vindicavit viamque aperuit, ut iudex ipse ab omnibus agnosceretur: plurimum igitur Samuelis intererat, ut eius quoque facti mirabiles momenta inconcussis confirmarentur argumentis. Iam argumenta, quibus veluti totidem chirographis noster auctor insistit, haec sunt: 5, 5 usus quidam in templo Dagon observatus, idoli coram arca humilitationem attestans, qui usus uti ex natura rei supponere fas est, aliquanto post abijt in desuetudinem; 6, 16 satrapae Philistinorum, qui testes essent oculati mirabilis arcae reditus; 6, 17 sq. anathemata Philistinorum, de quibus in tota posthac scriptura nulla habetur mentio; 6, 18 lapis quidam magnus, in quo deposita est arca. Verum satraparum testimonium superstitum inquit summam vim obtinebat, non tantam mortuorum vaga traditione transmissum; lapidis vero tanto minor evadere auctoritas, quanto longius ab eventibus tempus effluxisset, quantoque incertior evasisset eventuum traditio. Ergo haec argumenta, quibus noster utitur auctor, plenam vim non nisi pro ipso Samuelis aevo obtinebant.

5) Vera, utpote inspirata, quo tempore cap. 7 primum scribebatur, verba erant v. 13 et 15: « Humiliati sunt Philistinim, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus vitae suae.... Indicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitae suae ». Atqui ea verba non nisi sat diu ante Samuelis mortem *vero* scribi poterunt. Ergo scripta sunt ab ipso Samuele, quem gesta quaedam scriptis consignasse ex 1 Par. 29, 29 comperimus. — Teste v. 13 « cunctis diebus Samuelis », qui effluxerunt quoad ille versus scriberetur, duravit ea rerum conditio, ut manus Domini aggraveretur super Philisthaeos, ut Philisthaei humiliati non sint nisi « ultra venire in terminos Israel ». Atqui 13, 19, sqq., adhuc superstito Samuele, altera describitur rerum conditio, ut Philisthaei Hebraeis arma ferrea omnia ipsosque fabros ferrarios ademerint, quod ipsi, nisi terminos Israel ingrederentur, efficere nequaquam potuissent. Ergo aliquandiu ante Cap. 13 narrata scriptum est Cap. 7. Item, quo tempore 7, 15 scribebatur, vere dici poterat Samuel iudicis dignitatem obtinuisse « cunctis diebus vitae suae »: sed eam dignitatem cap. 12 abdicavit: ergo 7, 15 scriptum est ante abdicatam a Samuele iudicis dignitatem, ab ipso utique Samuele, qui aliqua 1 Par. 29, 29 descripsisse refertur. Ita iam sentiebat *Huetius*, Demonstratio evangelica, Paris 1679, p. 160: « Ergo commoda adhibenda est interpretatio, nempe ab obitu Heli sacerdotis *ad id usque tempus, quo haec scribebat Samuel*, iudicia ipsum inter Hebraeos exeruisse ».

Samuelis scriptum *immutatum* in eum, qui nunc dicitur Samuelis, librum transivit.

Nullus locus mutatus fuisse ostendi potest. Vel ipse locus, qui maxime omnium mutandus fuisset, immutatus permansit. Est is 7, 13, 15, ubi dicitur Philisthaei fuisse repressi « cunctis diebus Samuelis », et Samuel iudicis munere functus esse « cunctis diebus vitae suae ». Haec verba vera erant, quo tempore primum scribebantur; cunctis sc. diebus, qui tunc effluerant, Philisthaei prostrati erant et Samuel iudex perseveravit. Aliquanto post, et Philisthaei rursus irruerunt, et Samuel iudicis officio se abdicavit. Ille tamen auctor, qui Samuelis narrationem libro nostro canonico inseruit, verba, uti lacebant, transumpsit.

Samuelis *scopus* in illis septem capitibus erat narrare, quomodo ipse, Dei gubernante providentia, ad iudicis dignitatem fuerit evectus.

6. — HISTORIA SAUL 1 REG. 8-16. *Narratio haec una est, non ex duobus documentis consuta.*

Id inter alios volebat *Then.* (v. s.), unica hac nisus ratione, quod Saul narretur primum a Samuele privatim esse unctus, dein adstante populo sorte esse electus; alterum fictum esse oportere, quod non potuerit prioris unctiois confirmationem a sortibus quaerere propheta, quin Deum tentaret, aut inigne populo illuderet. Quam obsoletam objectionem citasse refulsasse est. Neque solidiora alii proferunt argumenta.

Igitur una est haec nostra narratio. Cap. 8, quod regem a populo petitum refert, fundamentum est totius sequentis narrationis. Verba v. 19: « Nequaquam, rex enim erit super nos », verbotenus fere repetuntur 10, 19; 12, 12: ergo certe ad eandem narrationem pertinent 8; 10, 17-27; 12. Item cap. 11, quod expeditionem describit contra Ammonitas susceptam; nam eorundem habetur mentio 12, 12, quae nonnisi ex cap. 11 intelligi potest. Ex 11, 3 concludere quidem licet, electionem Saul fuisse labesitis ignotam, quippe qui a valente obsiderentur hoste, non autem in eolis Gabaae. Immo confirmatur, quod 10, 27 narratur, Saulem non esse ab omnibus tum agnitionem remque dissimulasse. Errat igitur *Welsh.*, 11, 12-14 tribuens alicui auctori, qui cuperet cap. 11 cum 10, 17-27 ad concordiam redigere: concordant omnia. — Sed etiam 9, 1-10, 17 cum reliqua narratione cohaeret; narratur ibi secreta Saulis unctio, electionem per sortes antecedens. Num secreta illa unctio, a qua vel ipse Saulis puer excluderetur, sufficiens fuisset ad publicam auctoritatem illi conciliandam? Quodsi aliqua praeterea divina attestatio requirebatur, nonne aequo potius illa sortium oraculo, quam Samuelis ore pronuntiari? Quod 10, 6 dicitur « Insiliet in te spiritus Domini », praeclare confirmatur 11, 6 et iis omnibus, quae inde a 16, 13 de spiritu Domini a Saule revocato et in Davidem translato habentur; expressioni 10, 7 « Dominus tecum est » omnino parallela est altera 16, 18 « Dominus est cum eo »; 10, 7 « Fac quaecumque invenerit manus tua » illustratur ratione, qua 11, 7 Saul populum ad bellum Ammoniticum coegit, ut etiam *Welsh.* affirmet, sensisse tum Saulem in corde suo stimulum, quem illi verba 10, 7 infixissent. — Rursum 13, 8 explicito provocat ad 10, 8, ubi praeceperat regi propheta, ut septidno Galgalis expectaret: ergo tota narratio belli Philisthaei cap. 13 et 14 cum praecedentibus cohaeret. Cap. 15 unam expeditionum 14, 47 sq. enumeratarum resumit fusius narrandam, Amaleitarum stragem. Saulis obiurgatio plures expressiones in memoriam revocat prioris orationis Samuelis: cf. 15, 11 et 12, 14, 20; 15, 19 et 12, 15. Rursum 16, 4 intime connectitur cum 15, 35, utrobique enim de Samuelis ob reprobatum Saulem luctu sermo est; Davidis electio iam fuerat 13, 14; 15, 28 tacito nomine praenuntiata. — Ergo, cum omnes narrationis partes intime inter se cohaereant, non est, cur narrationem ex variis documentis conflata esse statuamus. De 13, 1 cf. loci explicationem.

Narrationis unitatem eatenus hucusque descripsimus, quatenus eas in posterioribus capitibus expressiones indicabamus, quae ad priora capita nos revocant: intimius eandem iam perpendamus. Iudaei igitur filiorum Samuelis avaritia exasperati et Ammonitarum incursione in pusillanimitatem acti regem expetunt. Quibus Deus regem concedit in poenam, ex Gabaa civitate execrata Iud. 19-21 oriendum, tribu Benjamin progenitum, cuius ergo thronus attenda promissione Gen. 49, 10 permanens esse non posset. Ungitur Saul a Samuele privatim, et signis quibusdam de suae electionis veritate certior fit; postea in conventu Masphae habito sorte designatus, a pluribus rex salutatur, ab aliis despicitur; sed fusis brevi post Ammonitis Galgalis ab omnibus agnoscitur. Ibidem Samuel iudicis officium abdicat, fidelibus Dei auxilium pollicitur, simul tamen non obscure futuram regis reprobatorem demonstrans 12, 25: « Quodsi perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis ». Bello dein cum Philisthaeis exorto, Saulis, qui diffidentia deliquisset, posteritas regno ex-

cluditur; postea ipse, quod in exterminandis Amalecitis Deo non obediisset, reprobatum; David successor ungitur et a Saule in anam adseiscitur, spiritu Dei ab hoc in illum transmissio. Haec narrationis summa, quam apte inscribes: Saulis electio et reprobatum.

Haec narratio primitus scripta est, *distincta cum a praecedentibus tum a sequentibus.*

Praecedens narratio ex 7, 13 scripta iam erat, quo tempore Philisthaei, clada ad Lapidem Adintorii contriti, nondum ausi fuerant venire in terminos Israel: nostra narratio ex 13, 19 eam supponit rerum conditionem, qua Philisthaei cunctos Hebraeis ademerant gladios et lanceas, quod evidenter supponit, eos terminos Israel esse ingressos totaque gentem subegisse. Neque noster auctor vel verbulo studet, neque cum praecedentibus reddere magis perspicuum. Ergo scribebat opus ab Historia Samuelis distinctum.

Sed etiam distinctum a *sequentibus* post cap. 16. Nam in fine cap. 16 narratur Saul misisse ad Isai Bethlehemiten: noverat ergo Davidis stirpem; invenienteque adseiscisse, dilexisse, armigerum fecisse et constanter secum habuisse. 17, 53 vero legitur: « Eo autem tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philisthaeam, ait ad Abner, principem militiae: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Abner: Vivit anima tua, rex, si novi ». Hinc patet, utriusque narrationis ordinem esse inversum, prius Davidem Goliath confecisse, quam armiger et psalles crearetur. Cf. *B. Haneberg*, Geschichte d. bibl. Offenbarung, 2. Aufl., Regensburg 1852, p. 208 sq. Sed ne verbulo quidem inversus ordo assertur, nulla ex scopo libri Samuelis ostendi potest ratio, cur ordo gestorum fuerit invertendus. Planissime solvitur difficultas, si supponas cap. 16 Historiam Saulis terminari, cap. 17 initium fieri Historiae Davidis. Auctori Historiae Saulis id solum in animo erat, ut Saulis electionem et reprobatum enarraret; de Davide ea tantum narrat, quae ad eum finem conferunt. Tradita igitur cap. 15 Saulis reprobatum, cap. 16 commemorat Davidem esse in successorem unctum, spiritum Dei relicto Saule in Davidem transiisse, idque causae fuisse, cur David aulae adseisceretur rebusque publicis misceretur. E contra sequentium auctor id in animo habebat, Davidis Historiam narrare ab ovo; orsus est igitur a facto, quod eius ad anam accessum antecessit, certamine contra Goliath inito. Quae nostra explanatio non parum inde commendatur, quod alii interpretes singuli fere novas atque ut plurimum miras, non dicam violentas, excogitaverunt solutiones, quas suo loco afferemus.

Historiae Saulis *scopus* is est, ostendere, quomodo primum apud Israelitas regnum fuerit institutum, et quam ob causam Saul primus rex a Deo fuerit reprobatum.

Huius narrationis *consensus esse auctorem aut Samuelem, aut Gad prophetam.*

Adverte, exinde quod supra ostenderimus cap. 1-7 ad Samuelem, quodque infra ostensurum 2 Reg. 11-20 ad Nathan revocari auctorem, illico evaderet vix non certum, quidquid inter eas duas partes interticitur, unius e tribus prophetis 1 Par. 29, 29 esse auctoris. Nathan h. l. excluditur, quod nonnisi post Gad Davidi familiaris

fuert, et quod aliquam tandem libri Samuelis partem prophetæ Gad assignari oporteat.

Iam pro *Samuele* auctore sequentes afferri possunt rationes. Toto hoc tempore suspenses erat Samuel; singula, quæ narrantur, probe posse poterat; imo quaedam ipsi soli immediate innotuerant, v. g. Saulis unctio, et colloquium 13, 13-30. — Modus, quo Saulis errores (cf. imprimis 13, 9 sqq.) narrantur, eum sapere videtur regis querentis amorem, quo ex 15, 35; 16, 1 Samuel afflictebatur; errores non solum non exaggerantur, sed fere velantur; nihil, quod in rege nobile fuerit, reticetur. Id ita est verum, ut recentiores aliqui prætenderint, Saulem omni peccato immunem, victimam occubuisse factionis theocraticæ. — 1 Par. 29, 29 Samuel adnumeratur iis, qui scripserint « gesta David »; nihil autem de Davide septem primis capitibus habetur; oportet ergo, ut, præter illa septem capita, aliquid Samueli auctori tribuatur. Hæc tamen ratio infirmior est. Nam ad gesta David latiori sensu trahi potuit, quidquid regni institutionem spectabat, ergo etiam priora septem capita; insuper non est absonum, nomine gestorum David 1 Par. 29, 29 designari præcisè nostrum librum Samuelis, qui generatim tribus prophetis auctoribus adscribitur.

Contra Samuelem hæc videntur militare. Cum inciperent eventus narrati, Samuel 8, 1 iam erat senio confectus; eventus illi pro ipso fuere pleni laboris, tam in regno primum instituendo, quam in bello Ammonitico et Philisthaico promovendo et dirigendo; aliunde inter numerosos prophetas non deerant, qui et eventuum optime gnari et scribendis rebus omnino pares essent. Tamen ratio non convincit. — In primis septem capitibus, quæ Samuelis sunt, animadvertimus summa tractari modestia, quæ Samuelis personam spectarent, et speciatim prophetæ non referri sermones; idem nostris capitibus non ita observatur, imo duæ Samuelis orationes in extenso referuntur. Tamen hæc etiam ratio minime est peremptoria, aliter quippe iuvenis scribit, aliter senex; et potuit ipse Samuel senex, ubi eius administratio impugnabatur, necessarium ducere, sua penitus exponere.

Pro Gad id præterea dici potest, eum, qui postea Davidi comes peregrinationum fuerit, certissime tempore electionis Saul iam vixisse et, quæ narrantur, singula vel ipsum vidisse, vel facile et certo ab aliis discere potuisse.

7. — HISTORIA DAVID EXULIS 1 REG. 17-31. *Unam esse hanc narrationem*, patet ex ordine, quo est per suas partes disposita.

Tota facile narratio in *tres partes* dispescitur: 1 Reg. 17-20 David in aula Saulis, 21-26 David fugitivus in terra Iuda, 27-31 David exul apud Philisthaeos.

Prima pars, 1 Reg. 17-20: *David in aula Saulis*. Ea in *tria membra* subdividitur. Aliquam huius divisionis adumbrationem apud *Then. et Keil* reperies, sed confusam tantum et incompletam.

I. 17, 1-18, 5. Hoc membrum *introductionis* loco est; describit factum, occasione cuius David primum in publicum prodierit, eadem Goliath, eiusque facti faustas sequelas, regis sc. favorem 18, 2, Ionathæ amicitiam 18, 1. 3. 4, populi gratiam 18, 5.

II. 18, 6-29 *latentes Saulis insidias* describit, ubi revertitur narratio ad strophicam illam formam, quam cap. 17 observavimus. *Daæ* sunt eiusmodi *strophæ*, quæ clausulis diglissentur: prior clausula affirmat populi, altera Micholis in Davidem amorem. Sed prior *strophæ* rursus in *tres articulos* subdividitur, simili rursus clausula distinctos. Rem schemate accipe.

1^a *strophæ*, 1 Reg. 18, 6-16: insidiarum initia.

a) v. 6-9, inimicitarum occasio;

clausula v. 9: « Non rectis ergo oculis Saul aspicebat David a die illa et deinceps ».

b) v. 10-12, prima infensi animi manifestatio;

clausula v. 12: « Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset ».

c) v. 13-15, David specioso præfextu ab aula remotus;

clausula v. 15: « Vidit itaque Saul, quod prudens esset nimis, et coepit cavere eum ».

Clausula strophæ v. 16: « Omnis autem Israel et Iuda diligebat David; ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos ».

2^a *strophæ*, 1 Reg. 18, 17-28: insidiae præfextu nuptiarum.

Clausula strophæ v. 28: « Et vidit Saul et intellexit, quod Dominus esset cum David. Michol autem, filia Saul, diligebat eum ».

Clausula totius membri v. 29: « Et Saul magis coepit timere David; factusque est Saul inimicus David cunctis diebus ».

III. 18, 30-20, 43 *patens iam Saulis odium* describit. Dividitur in *tres articulos*, quorum priores duo 18, 30 et 19, 8 a mentione belli Philisthaeorum pariter initium sumunt.

1) 18, 30-19, 7 ostendit Saulem suos ad necem Davidis exhortantem; reconciliatorem efficit Ionathan.

2) 19, 7-24 exhibet Saulem variis modis Davidis vitæ insidiantem. Sicut autem ex prioribus insidiis constanter nova Davidi divinitus succrescebant subsidia: 18, 16 populi favor, 18, 28 Micholis amor: ita in fine patet huius persecutionis clarissima accedit protectio ipsius divini Spiritus, satellites ipsamque regem invitos abripientis.

3) 20, 1-43 *conclusionis* loco accedit iteratum Ionathæ concordiae restituendæ consilium, effectu frustratum.

Secunda pars, 1 Reg. 21-26: *David fugitivus in terra Iuda*. Distinguitur in *tria membra*.

I. 21, 1-22, 23 vagum Davidis vitæ genus illustrat, primum Noben sedentis, inde in Geth, in Odollam, in Moab, in saltum Haret. Colligitur circa ipsum nucleus exercitus 22, 1. 2, accedit pontifex 22, 20. Simul in Geth ex ipsis rerum angustiis, in Moab oraculo prophetæ Gad divina manifestatur voluntas, Davidi nondum esse terra sancta excedendum.

II. 23, 1-13 narratur factum liberatæ Gethæ. Tandem

III. 23, 14 enuntiat *tessera*, cui probandæ tota narratio 23, 15-26, 25 subservit. Est autem tessera hæc: « Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco; quarebat eum tamen Saul cunctis diebus, et non tradidit eum Deus in manus eius ». Cuius tesserae veritatem s. auctor duobus factis particularibus probat, quæ in eadem regione, sc. in deserto Ziph, iisdem instigantibus, sc. Ziphæis, eodem effectu insignis divinae protectionis evenere: 23, 15-24, 23 et 25, 1-26, 25. Quippe Saul, spe incensus redigendi sub suam potestatem Davidis, his ipse in Davidis manus incidit, ab illo religiose serratus. Quæ insignior illustratio haberi potuit eius tesserae: « Et non tradidit eum Dominus in manus eius »? Tantum igitur abest, ut ex eorum factorum similitudine his eundem narrari eventum sequatur, ut potius ex ipsa similitudine, diversos esse eventus, fas sit concludere. Nam s. auctor est in aliquo, ut ita dicam, inductionis argumento proponendo: inductionis autem argumentum ex casibus quidem similibus, re tamen

distinctis coalescit. Abigails nuptiae cap. 25 ideo inscruntur, quod eae 25, 41 regi occasio fuerint resuscitandarum inimicitarum inde a 24, 23 sopitarum.

Tertia Pars. 1 Reg. 27-31: *David exul apud Philisthaeos.* Historice narrat ruinam Saul. Ut primum enim toties quaesitus aemulus terrae Israel vale dixit, veluti sublato salutis palladio, illico praiceps in interitum actus est rex.

Davidis exulis Historia aut cap. 30 aut cap. 31 concludenda est.

Quid praefendum, ita evidens non est. Ut cap. 31 concludatur, suadere videtur librorum distinctio a LXX invecata, antiquitate veneranda et fortasse antiquiore traditione fundata. Ut cap. 30 concludatur, illud maxime argumento est, quod cap. 31 incipiant excerpta ex « fastis David », quae in 2 Reg. continuantur. Ceterum adverte, Historiam David exulis et Historiam David regis invicem esse contexta, non ita abrupte ab invicem distingui, uti Samuelis Historiam ab Historia Saulis, et haec rursum ab Historia Davidis. In re dubia practice standum esse existimavimus divisioni receptae.

Auctorem si inquiras, *Gad* certe conscripsit narrationem inde a cap. 25, probabilibus etiam priora.

25, 1 mors Samuelis refertur. Posset quis fingere Samuelem, usque ad mortis diem, eventus scriptis consignasse; inde Gad eodem veluti calamo magistri narrationem continuasse. Verum id non satis probatur. Ostendimus enim 25, 1-26, 25 et 23, 15-24, 23 duas esse unius tesserae 23, 14 enuntiatæ probationes: ergo unus idemque auctor Gad asserendus erit totam illam narrationem concinnasse. Rursum David suarum peregrinationum Gad habebat comitem (cf. 22, 5), non Samuelem: ergo facilius Gad res accurate potuit describere. Dubitationi aliquis fortasse locus esset respectu cap. 17-20: secundum 19, 18 David Ramae narravit Samueli Saulis insidias; novit illas igitur Samuel; sed potuit easdem facile nosse etiam Gad, sive a Samuele, sive aliunde.

8. — HISTORIA DAVID REGIS 2 Reg. 1-20. Ea constat narratione fastorum regis David, adiectis aliis, quae aut ante obtentum totius gentis imperium evenere, aut fata domus Saul peccatumque David cum turbis illud consecutis spectant.

En tibi conspectus narrationis nostri libri et 1 Par.:

2 Reg. 1-4, historia David, quamdiu sola ei suberat tribus Iuda.

2 Reg. 5, 1-10, David a tota gente agnitus arce Sion potitur.

2 Reg. 5, 11-25, Hiram amicitia, Davidis filii, duo bella Philisthaica.

2 Reg. 6, 1-11, arca in domum Obedom translata.

1 Par. 11, 1-9.

1 Par. 11, 10-46, heroes David, cf. 2 Reg. 23, 8 sqq.

1 Par. 12, alii Davidis socii.

1 Par. 14, 1-16.

1 Par. 13.

2 Reg. 6, 12-30 a, arca Hierosolymam translata.

2 Reg. 6, 20 b-23, Michol correpta.

2 Reg. 7, consilium templi aedificandi, Dei promissio.

2 Reg. 8, summarium bellorum David, aulae proceres.

2 Reg. 19, Miphiboseth in gratiam receptus.

2 Reg. 10, 1-11, 1, bellum Ammoniticum.

2 Reg. 11, 2-12, 28, peccatum et poenitentia David.

2 Reg. 12, 29-31, finis belli Ammonitici.

2 Reg. 13-20, sequelae peccati David.

1 Par. 15, 1-24, tabernaculi praeparatio, levitarum ordinis.

1 Par. 15, 25-16, 3 et 16, 43.

1 Par. 16, 4-42, canticum levitarum.

1 Par. 17.

1 Par. 18.

1 Par. 19, 1-20, 1a.

1 Par. 20, 16-3.

Ex hoc elencho collige:

1) Noster auctor quatuor *omisit* documenta, quae 1 Par. exhibet, sive quod ea in fastis non legerentur, sed aliunde ab auctore 1 Par. fuerint petita, sive quod ea minus apta viderentur, quae Historiae David regis insererentur: quippe quae narrationem *eventuum* interrumpant. Sunt enim ea documenta tres virorum recessiones, et unus psalmus.

2) Unum documentum *transposuit*, se. 2 Reg. 5, 11-25, quod 1 Par. cum elencho levitarum intra narrationem translatae arcae inseritur; sed, expuncto levitarum elencho, placuit fortasse continuum tradere translatae arcae narrationem; quare illud documentum loco cessit.

3) Quatuor documenta *adiicit*. Supplevit historiam David Hebrone residentis, quae in fastis regis *Israel* utique non legebatur. Narrat, quorsum Michol gratia mariti excederit, et ita penitus extincta fuerit posteritas Saul. Tradit, quomodo Miphiboseth a Davide in gratiam fuerit receptus, non quod id evenerit immediate ante bellum Ammoniticum, sed quod eius viri mentio facienda esset in regni perturbationibus, quae illud bellum consecutae sunt (16, 1 sqq.; 19, 24 sqq.). Tandem narrationi belli Ammonitici inserit atque subnectit narrationem peccati et poenitentiae Davidis, cum perturbationibus ex eo peccato natis.

Narratio pro ratione fontium, unde petitur, sponte ita dividitur, ut prima pars Davidem Hebrone, altera Hierosolymis regnantem exhibeat.

Parte prioris cap. 1-4 David, post Saulis necem punitam et lugubri cantico comploratam, Deo monente Hebronem concedit tribusque Iuda imperium capessit. Bello civili exorto continuo firmatur Davidis, minuitur Isbosethi potentia 3, 1: « David proficiens et semper se ipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie ». Idque effectum ostendit non solum Davidis prudentia, sed magis etiam Dei providentia, cum tam Abner quam Isboseth inscio et invito Davide interimantur.

Pars altera cap. 3-20 rursus bifariam dividitur.

Cap. 3-10, ex fastis Davidicis fere totum de promptum, Davidem exhibet omnium tribuum regem agnitioni, in capta Sione regni sedem figentem et palatium extruentem. « Et cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israel » (5, 12). Funduntur his Philisthaei; Deo oraculis et portentis adjuvante. Area Sionem translata, in David consilium domus Deo aedificandae, cui per Nathanem respondetur, id quidem a filio Davidis factum iri, aedificaturum verò Deum Davidi domum, regno apud eius posteritas aeternam permanens. Sequitur brevium bellorum David; dein, interiectis quae de Miphioseth habentur, bellum Ammoniticum fugis traditur.

Cap. 11-20 ex narratione fastorum non derivatur, sed eodem contextum deprehenditur ex 12, 25 sqq., ubi eiusdem narrationis finis habetur. Refertur autem illis capitibus Davidis peccatum in Bethsabee et Uria admissum; in cuius poenam Davidi indicitur « malum de domo sua ». Hoc deinde malum impletum cernis in stupro et nece Amnon, in fratricidio, rebellionem et interitu Absalom. Interempto tandem Seba pax regi instauratur.

Una est totius Historiae David regis idea princeps: *Deus aedificans domum Davidi, David (per Salomonem) aedificans domum Deo.*

Sane ipso Deo manuducte David thronum conscendit. Eo consulto 2, 1 Iudaeam ingressus est atque Hebrone sedem fixit. Postea agnitus est rex ab omnibus atque Hierosolymis capite regni usus est: « Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo... Et cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israel » (5, 10, 12). Deo consulto his Philisthaeos prostravit 3, 17 sqq. In traducenda area plura edita sunt oracula, portenta plura. David vicissim constanter Dei memor fuit. Ab ipsis maxime regni primordiis id cordi habuit, ut area e Cariathiarim redux in decenter locum atque ipsam regni sedem transferretur. « Factum est autem, cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, dixit ad Nathan prophetam: Videsne, quod ego habitem in domo cedrina, et area Dei posita sit in medio pellium? » (7, 1, 2). Ea sancti regis consilium: Deo aedificare domum percipiebatur.

Ubi advertit, duo in Deum distincte futura praedixisse, post fixas in terra sancta obtentas sedes: electam iri a Deo locum, unicum et permanentem centrā futurum totius cultus, 12, 5, 10 sqq.; 14, 23 sq.; 15, 20; 16, 2, 6. 11, 15 sqq.; 17, 8, 10; 18, 6; et constitutum iri a Deo regem 17, 14 sqq. Simul cum his duobus promittitur 18, 15 sqq. *prophetici muneris* stabilis institutio. Locis ille opponitur multiplicibus gentium sanctuaris 12, 2 sq., prophetae eorumdem pseudoprophetae 18, 9 sq., regi assignatur dignitas cum aliis regibus eadem 17, 14, mores diversi 17, 16 sqq. Haec autem omnia efficienda praesentiantur eo tempore, quo Israel, devictis hostibus universis, in quietam atque securam terrae sanctae possessionem devenit, 12, 1, 9; 17, 14; 18, 9.

Et iam tempora implebantur: iam regnum exstabat Dea acceptum; iam, ubi raris pridem fuerat sermo Domini (1 Reg. 3, 1) et vel ipso iudicium aevo intermittens, prophetarum chori saltabant; vel ipse locus inventas erat, atque area in Sion fixerat tabernaculum. Non haec sancto regi sufficiebant: *domum* Deo extruere cupiebat, permanentem, sumptuosam, amplam. Et nunc nomine Dei propheta annuntiat, domum quidem illam a Salomone aedificatam iri, Deum autem vicissim Davidi aedificaturam

esse domum. « Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis: praedicite tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus » (7, 11), domum utique permanentem, gloriosam: « Et fidelis » (i. e. permanens) « erit domus tua et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus iugiter » (7, 16).

Facile est, hanc ideam, de domo Davidi a Deo aedificanda, in sequentibus prosequi. Illico David in tota Dei circa se providentia hoc ipsum maxime celebrat 7, 18 sqq.: « Quis ego sum, Domine Deus, et quae domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum.... Nunc ergo, Domine Deus, verbum, quod locutus es super servum tuum et super domum eius, suscita in sempiternum.... Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino, quia tu, Domine exercituum, Deus Israel, revelasti aures servi tui dicens: *Domum aedificabo tibi, etc.* »

Sed en, bellis feliciter gestis ea iam fere comparata ab inimicis requie, quam Deus 7, 11 conditionem utriusque domus aedificandae assignaverat, ipse David propriam domum seu familiam deserat, concepto ex adulterio filio. Quare statim reanuntiat in domo sua puniendus 12, 10 sqq.: « Quomobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum... Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis huius ». Poenitentia Davidis placatur Deus, promissam domus aedificationem rursum aggreditur. At primum prioris structurae deserat lapides a se proicit: Amnon in stupro, Absalom in rebellionem poenam interit. Filius post poenitentiam conceptus scilicet in lapidem angularem aedificandae domus: « et vocavit nomen eius Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus ». In Salomone aedificatur domus Davidi.

Historia David regis scripta esse videtur *Davide nondum defuncto*.

Historia haec ostendit, quomodo Deus, reiectis priorum nuptiarum adulterio deseratarum filiis, ex filio novi connubii, quasi lapide puro et sancto, domum Davidi aedificaverit. Interitus igitur Adoniae, filii David, aequo nostro auctori narrandus fuisset, atque interitus Amnon et Absalom: egregie enim eandem veritatem confirmat, imo ad argumentum auctoris complendum omnino requiritur. Cur ergo non estnarratus? Unica ratio esse videtur haec, quod Adoniae interitus nondum locum habuerat, quando haec Historia primum scribebatur. Ergo scriptam existimamus nondum defuncto Davide, post eius mortem brevi Adoniae occubuit. — Neque inuval, cum *Bertheau* p. 164 aliusque librum 2 Reg. usque ad 3 Reg. 2, 46 producere, quo mors Adoniae ad nostram narrationem trahatur. Nam praeterea, quod ea productio omni prorsus fundamento tam critico quam historico destituitur, perquam incommode inter hoc additamentum et Historiam David regis intercederet Appendix 2 Reg. 21-24. Adde cum *Himpel* l. c. p. 273, librum, qui ratione nunc concluditur, nonnisi ab ipso primo auctore concludi potuisse; eam rationem supponendam esse genuinam eadem lege, qua lectionem difficiliorem praefaciliore genuinam praefaciliore consueverimus; primum quippe esse lectionem obscuram in faciliorem emendare, non secus.

Cap. 11-20 conscripsit *Nathan propheta*.

1) Nathan non solum aliquam gestorum Davidis partem ex 1 Par. 29, 29 conscripsit, sed quaedam etiam Salomonis gesta 2 Par. 4, 29. Ergo videtur praecipuorum actuum, quae, dum in aula versabatur ipse, evenerunt, ex ordine narrationem contempsisse. Inter quae peccatum David cum turbis illud consecutus praecipuum omnino lo-

cum obtinebat. Aliunde vix dubitare licet, Nathan in scribendis memorabilibus Samuelis et Gad vestigia trivisse, qui eos praecise eventus describendos selegerant, quorum ipsi pars maxima fuissent: similiter igitur Nathan non neglexit peccati David historiam contexere. Nathanis vero scripta ex textibus laudatis eximia omnino apud Iudaeos florebat historia auctoritate. Ergo aut certe noster in narrando Davidis peccato ex illis hausit, aut, quod probabilius est, ipsa nostra narratio Nathanis est.

2) In nostra narratione plura sunt, quae vix quisquam praeter Nathan tam accurate nosse potuit: peccati intimiora momenta (cf. 11, 2. 4. 5), quae David utique supponi potest cum Nathan sibi amicissimo communicasse, nequaquam vero publici iuris fecisse; Nathanis reprehensio 12, 1 sqq., quam gratis adstrues coram pluribus esse pronuntiatam. Eorum, quae Thamarem inter et Ammonem in conclavi, seclusis testibus, dicta et acta essent (13, 10-16), *genuina* narratio vix aliunde quam a Thamare per Davidem hauriri poterat, Absalomis quippe ea de re querelae a suspitione exaggerationis non omnino fuissent immunes. David autem rem certissime non divulgavit, immo ex 13, 21 silentio pressit, Nathan tamen fidissimo consiliario aperuisse facile creditur. Tota narratio eum proficit auctorem, qui non solum publicos eventus accurate observaverit, sed ipsorum regis consiliorum fuerit gnarus.

3) Constat Nathanem quaedam Davidis acta scriptis mandasse: nostra autem narratio, quod supra suggestimus, scripta est Davide nondum vita functo: ergo haec ipsa nostra narratio illud est Nathanis scriptum.

4) Sententia fuit interpretum tam christianorum quam iudaeorum maxime communis, aliquam libri Samuelis partem Nathanem habere auctorem; in qua sententia affirmanda illi auctores omnes praecipuis 2 Reg. 11-20 in mente habebant. Estque tanto maius illius sententiae pondus, quod altera eorundem assertio de parte libri Samueli auctori tribuenda solide demonstratur.

Quodsi Nathan cap. 11-20 conscripsit, idem etiam excerpta ex fastis selegit et cum reliqua narratione contexit.

Idea domus Davidi a Deo aedificandae nequaquam solis cap. 11-20 exprimitur, quin imo principem etiam in excerptis locum obtinet: illa enim capita nonnisi eius axiomatis historicam tradunt confirmationem, quod cap. 7 fusc exponit. Ergo Nathan illas fastorum partes selegit suamque cum illis narrationem contexit. Idem, non vero Gad, cap. 9 de Miphobeth, sive a se sive ab alio concinnatum, inseruit: addidit enim illud, uti diximus, solius sequentis narrationis elucidandae intuitu. Idem 6, 20-23 ea, quae de Michol sunt, adiecit ad complendam narrationem eorum, quae ad ruinam domus Saul spectabant. Quis autem cap. 1-4 scripserit, non liquet. Potuere illa Davidis Hebrone regnantis acta, sive ex toto sive ex parte, iam a Gad conscribi, quod dein opus imperfectum relictum Nathan continuaverit atque absolverit. Certe Gad ex 2 Reg. 24, 11 adhuc superstes erat, quando regni sedes Hierosolyimam fuerat translata. Supra monuimus Historiam David exulis et Historiam David regis non tam indubie ab invicem distingui, uti Historiam Samuelis et Saulis. Excerptum ex fastis iam habes 1 Reg. 31: non tamen inde concludes, illud quoque a Nathan esse insertum. Potuit Gad eorum excerptorum inserendorum initium facere, cuius postea Nathan exemplum secutus sit. — Quis tandem fastorum fuerit auctor, ignoramus: potuit esse propheta, aut unus e scribis 8, 16 seq.; 20, 24 sq. recensitis, aut alius aliquis.

9. — Antequam de Appendice cap. 21-24 dicamus, de praecedentium

Historiarum *collectore* seu *redactore* agemus. Quas censemus in unicum librum coaluisse, non casu sed consilio, ut unam nobis exhibeant *Historiam instituti primum apud Hebraeos regni*.

Supple titulos, quos Hebraei adscribere libris haud consueverant: unum, quem dicimus Samuelis, librum conspicies ex quatuor (vel tribus?) distinctis scriptis conflatum, Historia sc. Samuelis, Saulis, Davidis exulis et regis. Quaeritur, qua ratione quatuor illa scripta in unum coaluerint. Num casu id factum censemus, ut, deficientibus titulis, scriptorum distinctio in oblivionem abierit? Quae opinio nequaquam reverentia s. textui debita proseribitur: ut enim fas est, quos in hodiernis biblis *duos* legimus libros, hos *unum* declarare Samuelis librum, ita eosdem *duos* in *quatuor* etiam distinguere licebit. Tamen maiorem aliquam unitatem libro Samuelis vindicari posse arbitramur. — Vidimus, in Historia David regis principem locum obtinere ideam domus Davidi a Deo aedificandae: cui ideae reliquae etiam Historiae sponte subordinantur. Domus enim regiae aedificatio, quid demum aliud est, quam institutio regni permanentis? Et autem institutioni Historia Samuelis praehulit ostendens, quomodo is, qui regnum esset institurus, ad iudicis officium inter Hebraeos sit euectus. In Historia Saul praeposteram regis petitionem consequitur collatum Sauli regnum; quo reprobo, David tandem ad regnum vocatur. Neque re tantum istae Historiae inter se connectuntur, sed verbis invicem digito quasi demonstrant. In Historia Samuelis Anna et vir Dei 2, 10. 35 regnum brevi institutum praenuntiant. Saulis regnum, tum quod invito veluti aumni extortum, tum quod et tribu Benjamin (cf. Gen. 49, 10) pelitum sit, permanere nequit, sed alteri regno locum cedat oportet. In Davidis exilio admirari est Dei providentiam, futurum regem ad fidem et fiduciam inconcessam educantem, quibus Deo tanquam sui regni unico fundamento futuro innitatur.

Satis probabile est, librum Samuelis a *Nathan* collectum esse eo fine, ut educationi pueri Salomonis inserviret.

Nathanis insignes omnino fuisse partes in formando Salomone, ex Reg. 12, 23 non quidem colligitur directe, indirecte vero ex hoc textu eum multis aliis collato. Habebatur quippe Nathan summo honore a Davide et Salomone, quorum ipse gesta conscripsit. In difficultatibus maxime ex adulterio Bethsabee consecutus regi consiliarius affuit divinorumque oraculorum interpret. Salomoni recens nato nomen divinitus acceptum imposuit 12, 25. Eius partium praecipuis studiosus fuit in vindicando illi regno 3 Reg. 1, eum unxit. Salomo vicissim, illico post acceptum regnum, sicut Sadoe sacerdotis filium, ita duos filios Nathan 3 Reg. 4, 2. 5 ad primos aulae honores promovit. Aliunde vix aliud Davidis senis animum ita occupabat consilium, non aliud Salomoni puero alius corde haeserat, quam templi aedificandi praeparatio: quo illis in negotio rursus Nathan a Deo assignatus est consiliarius. Hinc continuum eorum virorum commercium, inlinorum sensuum communicatio, et consequenter insignis Nathan influxus in Salomone ad omnem pietatem et sapientiam erudiendo. Salomonis utique animus, sapientiae et literarum amans, coelestibus afflatus patens, non in aula solum, quin potius in prophetarum cellis adolevit.

Iamvero librum Samuelis regum educationi esse aptissimum, alii observaverunt. Ita *Lap.*: « Nihil congruentius principum instructioni quam sacrae historiae, praesertim librorum Regum explicatio. Inde enim clare intelligunt fundamentum regni et politicae totiusque prosperitatis in vera religione et iustitia collocatum, extra hoc nihil

christiano principi fore firmum aut tranquillum. Profuit id plurimum Carolo V. imperatori, cui adolescenti Hadrianus, postea sextus eius nominis pontifex, insitator suasit lectitare libros Regum ». *Sacy* : « Quae historia cum sit Regum historia, a Deo per suum spiritum concinnata est, ut principibus et regibus usui esset. Pie in illa normam requirent gubernandorum regnorum, et futuram quandam iudicem ex illa proloquentem auscultabunt ». Uade merito *Augusti* (apud *Bertholdi* p. 895) hunc librum « speculum regnantium » appellavit.

Cum igitur liber scriptus sit, quo tempore Nathan Salomonis eruditioni utilem operam navabat, cum sit apertissimus piis regibus formandis, non immerito affirmabis, ad hunc etiam vel maxime finem a Nathan fuisse coniectum.

Fieri potuit, ut Nathan, dum librum Samuelis componebat, scriptis antiquioribus aliquas de suo glossas adiecerit; quin tales quaedam glossae postmodum addi potneret ab aliquo ex prophetis, in quorum custodia liber Samuelis permansit, quoad in canonem est receptus.

Eiusmodi loci sunt 1) 1 Reg. 27, 6 « propter quam causam facta est Siceleg regum Iuda usque in diem hanc », quem textum *Wette* p. 151 et *Keil* p. 10 unicum esse affirmant, ob quem libri scriptio post regnorum divisionem sit collocanda. Sane si, ut infra ostendemus, expressio « Israel et Iuda » sit aevi Davidici, neque repugnat urbem Siceleg, quae intra territorium tribus Iuda sita erat, dici esse regis Iuda, sc. Davidis, qua rex Iuda erat et tribui Iuda imperabat. Difficultatem facit plur. « regum ». Si igitur placet, hanc dicas esse glossam posterioris eiusdem prophetae, eamque hand otiose adiectam, quod per eam ipsa urbs Siceleg constituitur monumentum quoddam perenne eorum, quae eo loco narratur.

2) 1 Reg. 9, 9 « Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum; Venite et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videntem ». Cf. dicenda ad hunc locum.

3) 1 Reg. 17, 34 « Assumens autem David caput Philisthaei, attulit illud in Ierusalem ». Verba possunt esse Nathan vel ipsius Gad, cf. infra dicenda.

4) 2 Reg. 13, 18 « Huiusmodi enim filiae regis virgines vestibus utebantur ». Cf. infra, ubi ostendimus hunc versum vel ab ipso Nathan regnante Salomone potuisse addi, ad filias regis ad pristinum simplicitatem revocandas. Quodsi id non placet, alii eundem attribui potest.

Quae profecto mutationes tam paucae sunt tamque incertae, ut fere liceat cum *J. B. Glaire* (Introduction historique etc, Paris 1843, III. p. 185. 188) affirmare, collectorem priorum auctorum scripta servasse « immutata, transumptis verborum, quaecumque ipsi scripserint » (Pastos recipimus secundum dicta n. 3).

Alia perperam a diversis proferunt recentioris redactionis argumenta. Expressionem « Israel et Iuda » de *Wette* p. 230 declarat « davidicam »; quam *Then.* p. XXI recte inde derivat, quod David rex fuerit primum solius tribus Iuda, dein totius Israel. Expressio Davide etiam antiquior est. Nam si 1 Reg. 11, 8 dicitur « Et recensuit eos in Beze, fueruntque filiorum Israel trecenta millia, virorum autem Iuda triginta millia », id sane ostendit, ipso regni Saul initio separatim computum habitum esse virorum Israel et virorum Iuda. — Proverbia 1 Reg. 10, 12; 2 Reg. 5, 8 afferunt, non quod eorum iam scriptoris tempore origo vulgo ignoraretur (*Bertholdi*), sed quod illa apta essent ad facti, a quo originem dixerant, memoriam perpetuandam. — Ceterum, si quae expressiones quandoque ad limam non videntur revocatae, si contextus incertior, id Hebraeorum scribendi generi a nostro nonnihil diverso permittent-

dum. Audi *E. Renan* (Le livre de Job. Paris 1881 XLIV), rationalistam quidem, sed literarum semiticarum apprime peritum: « Longe aliter quam nos Hebraei ceteroque Orientales de descriptione librorum sentiebant. Eorum opera non sunt unquam ita accurate antequam circumpolita, uti nostratum assuevere. Care, additamenta seu emendationes odoreris, ubique contextus hiatus offenderis. Exemplum habes initio cap. 8 et 17, ubi Nathan non indicavit suum esse partium, diversorum, quibus utebatur, documentorum nexum accuratus exprimere.

10. — APPENDIX 2 REG. 21-24 sex constat fragmentis, quae neque inter se neque cum praecedentibus, tamquam continuatio unius eiusdemque narrationis historicae connectuntur.

Fragmenta haec sunt 1) ulterior ruina domus Saul 21, 1-14, 2) quatuor bella contra Philisthaeos 21, 13-22, 3) psalmus cum Ps. 17 identicus, cap. 22, 4) Davidis ultimum eloquium propheticum 23, 1-7, 5) catalogus heroum David 23, 8-39, 6) populi census cap. 24.

Iam psalmus, eloquium propheticum, elenchus heroum narrationem historicam utique interruptum, non continent. Quid psalmo cum bellis Philisthaeis? Audi *Sanct.* ad 23, 8: « Sicut prior pars capituli a capite praecedenti, immo et a toto libro separata est (neque enim habemus, cui ea superioribus capitulis possit atexi, si modo, quod putabimus non improbabile, psalterii titulus est): sic etiam pars capituli posterior non habet aliquid certum supra, cui possit commode et continenter adungi ».

Uterior ruina domus Saul potius initio quam fini regni Davidici erit attribuenda, quando recens a Sarepta accepta iniuria Gabaonitarum adhuc animos stimulabat. Neque veri simile est, Resphaim 21, 11 tot annos post mortem mariti supersistemisse. Adde, filiorum et nepotum Saul nullos recenseri filios, unde concludere pronum est, nullum eorum matrimonium contraxisse, omnes vixdam puberes, eo tempore fuisse. Quare *H. Wechs* (David und seine Zeit, Münster 1880, p. 250 sqq.) eventum ante turbas Absalomicae obtinuisse censet.

Populi census certe locum habuit supersede Gad 24, 11, qui, cum Davide adhuc invene iam in aetate actatis fuisse videatur, quippe assignatus illi a Deo moderator, haudquaquam credendus est ad finem usque regni Davidici vitam produxisse. Praeterea notaviere interpretes, 21, 1-14 et cap. 21, nunc quidem disiecta, primitus tamen unam continuam efformasse narrationem, quod inferunt ex voce יריב, « iterum » 24, 1, narrationem includam continuatae, et ex communi utriusque fragmenti clausula « et propitius est Dominus terrae ». Cf. suo loco dicenda.

Bellorum quoque Philisthaeorum narratio ex primitivo suo contextu avulsa cernitur, ut patet ex primis vocibus « factum est autem rursum », quae continuationem eiusdem historicae narrationis expriment. 1 Par. 20, 4-7 primum bellum et quatuor quaedam historicae narrationis expriment. 1 Par. 20, 4-7 primum bellum et quatuor quatuor quoque sensus est « praeterea ». 2 Reg. 8 et 1 Par. 18 trahit summario bellorum David, unum alterumque bellum accuratus describitur: primum Ammoniticum 2 Reg. 10-12 et 1 Par. 19, 1-20, 3, omnium uti videtur valentissimum, dein bella Philisthaea 2 Reg. 21, 15-22 et 1 Par. 20, 4-7. Neque hinc concludere fas est, bella haec bello Ammonitico fuisse posteriora. Nam frater Goliath Gethai (2 Reg. 21, 19; cf. 1 Par. 20, 5) facile creditur quadraginta fere post obitum fratris annos reges persistisse? Audi *Calm.*: « Certum tempus harum expeditionum ignoratur. Considerandae sunt facie sub primis annis regni Davidici, cum ille tunc vegeto esset

corporis robore, ac per se in fronte agminis sui certaret. Porro tota haec historia cum sequentibus inserta hic videtur, tanquam aliquid e serie historiae Davidis avulsam. Ita iam sentiebat *Abul.*, et cf. *Sanct.* ad 21, 1 et 13. — Ergo quatuor ultima capita non exhibent unam continuam narrationem historicam.

Ea tamen fragmenta nequaquam censenda sunt casu adhaesisse extremo Samuelis libro, sed addita videntur ob quamdam cum ipso affinitatem, quod sc. libri narrationem completerent, et sensus illi prae ceteris proprios exprimerent.

Sic 21, 1-14 penitus, quam id 1 Reg. 31-2 Reg. 4 factum fuerat, ruinam domus Saul a Deo reprobatae exhibet. 21, 15-22 complementum est narrationis bellorum David. Psalmus est *canticum petrae*, cf. v. 2 « Dominus petra mea »; et concludit mentione misericordiae semini David in sempiternum faciendae. Exprimit ergo egregie eam fiduciam, qua David excelebat, maxime exilii tempore, et simul aptissima est oratio eius, cui Deus promiserat, *adificaturum se ei domum*. Prophetia Davidis novissima (cf. explic. loci) celebrat messiam, et explicite meminit eiusdem divinae promissionis: « Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum aeternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum ». Catalogus horum complet narrationem bellorum David. Populi census exhibet Davidem eius neglectae fiduciae poenas dantem, quae tota eius vita tantopere in eo emicuit, quaeque decebat eam, cuius domus non humano robore, sed Dei virtute super Deum petram esset fundanda.

Quando haec fragmenta addita fuerint, et num omnia uno tempore, certo definiri nequit. Videtur id factum esse ante conscriptum 1 Par.; quod si enim fragmenta 21, 18-22; 23, 8-39; 24 in eum librum iam fuerant inserta, vix erat sufficiens ratio eorumdem in extenso subnec-tendorum libro Samuelis. Item conicere licebit, ante collectam in unum primam e quinque psalterii partibus (Ps. 1-40), adiectum esse libro Samuelis psalmum cap. 22: cur enim integer Ps. 17 describeretur, qui in psalmore codice in omnium versabatur manibus! Equidem facile concesserim, appendicem ab ipso Nathan adiectum esse, sive ante sive post Davidis mortem.

Invat, quae de fontibus et auctoribus libri fusius disseruimus, paucis resumere. Praeluculentibus igitur textibus 1 Par. 27, 24; 29, 29, ipsum librum intelleximus quatuor constare partibus, historia sc. Samuelis, Saulis, David exulis et David regis, cum annexo Appendice. Quarum tertia et quarta, totam Davidis historiam complectentes, uno veluti calamo, licet a duobus fortasse prophetis, invicem sunt contextae; prima vero et secunda ab invicem et a sequentibus clare etiamnum distinguuntur. Partes tamen hae quatuor et Appendix non fortuito in unum librum coaluere, sed ab uno auctore fuere collectae, quod unam exprimerent ideam *regni* non humana sed divina virtute stabiliti, tanquam *domus* Davidis, *adificaturi vicissim domum* Deo. Auctores illorum scriptorum Samuel, Gad et Nathan fuisse perspicuntur ex variis etiam indicibus libri ipsius:

unde Iosephi, Rabbinorum et Theodreti testimonia, librum aut prophetis universim, aut illis nominatim prophetis auctoribus attribuentium non mere ex textu 1 Par. 29, 29, sed ex veri nominis traditione derivata esse censenda sunt.

41. — CHRONOLOGIA REGNI DAVIDICI. De ratione temporum Samuelis et Saulis pauca solummodo habemus, quae suis locis expediemus. Davidem quod spectat, 2 Reg. 5, 4 sq. docemur regnasse illum quadraginta annos, et quidem sex cum dimidio Hebrone, triginta tres Hierosolymis. Arcem Sion captam, Philisthaeos duabus expeditionibus prostratos, probabilius etiam arcem Hierosolymam translata esse (2 Reg. 5 et 6) ipsis regni Davidici in Ierusalem primordiis, suis locis explicabimus. Quo loco bellum Moabiticum, Amaleiticum aliaque bella Philisthaica intercesserint, ambigi potest. Certe post bella initio regni Davidici feliciter gesta concedendus erit annus unus alterve quietis, ut vera maneant verba 7, 1: « cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis ». Haec tamen omnia absoluta esse potuerunt anno (e quadraginta) duodecimo vel decimo tertio.

Iam considerata venit series eventuum, quorum tempora invicem excipiunt. Ubi illud praemitto, tres contra Ammonitas eorumque socios susceptas expeditiones, ex 11, 1 « eo tempore, quo solent reges ad bella procedere », videri tribuendas tribus distinctis annis; expressiones « post tempus biennii » et similes, ex more loquendi Iudaeorum, nequaquam intelligi oportere de annis *plenis*; insurrectionem Absalomis et Schae videri sat brevi tempore esse suppressam. Quibus praemissis accipe eventuum rationem.

Annus

- 1 Expeditio contra Ammonitas et Syros 10, 6-14.
- 2 Expeditio contra Syros 10, 13-19.
- 3 Expeditio contra Ammonitas et peccatum David 11, 1-27.
- 4 Mors pueri ex adulterio concepti 12, 18.
- 5 (vel iam 4) Stuprum Thamaris; « post tempus biennii »
- 7 Caedes Amnon 13, 23; clapsus « tribus annis »
- 9 Absalomis reditus de exilio 13, 38; « duobus annis » post
- 10 perfecta cum patre reconciliatio 14, 28; post quatuor annos
- 13 insurrectio Absalomis 15, 7 (corrigendus textus « quadraginta »).
- 15 Pax perfecte restituta.

Iam hi quindecim anni continui inserendi sunt regno Davidico inter annum fere duodecimum et quadagesimum. Plures auctores illos inserunt fere in fine regni Davidici. Sed notandum, 18, 2 voluisse adiuve Davidem prodire in proelium contra Absalom, dum 3 Reg. 1, 1 nobis ut

senex decrepitus describitur: ergo videntur aliqui certe anni inter utrumque eventum intercessisse. — Aliunde Salomonis conceptio ideo 12, 24 immediate post Davidis poenitentiam narratur, quod eius veluti prae-mium fuerit, non vero ideo necessario, quod immediate post filii adulteri obitum locum habuerit. Nihilque prohibet, quominus statuamus, Salomonem nonnisi post expiatum penitus Davidis scelus, patre iam ad senium vergente natum esse, et 3, 44 ideo novissimum recenseri inter Bethsabee filios, quod revera natu minimus fuerit. Hinc si primam in Ammonitas expeditionem adscribas anno regni Davidici duodecimo, habebis oppressum Sebam anno vigesimo septimo, vigesimo octavo natum Salomonem, qui tredecim annos natus patri successerit: at reapse tenera aetate regno potitum esse affirmat scriptura.

12. — Eorum, qui nostrum librum sive ex toto sive ex parte commentati sunt, insigniores recensuisse sufficit. Ubi antiqui scriptoribus in parenthesi adiciamus numerum toni in collectione *Migne*.

Et primo quidem loco *Flav. Iosephum* commemorare liceat, qui utvis commentarium non scripserit, non raro commentatoris instar est. Narrat quippe regum historiam, non alio praeter s. scripturam fonte usus, et ita nobis manifestat, quomodo ipse vel sui temporis Hellenistae textum LXX legerint et intellexerint.

Orig. (12 et 17) de quibusdam nostri libri partibus fusius disseruit. Item *Chrys.* (34), qui sicut *Ephraem* (op. t. I.), *Theodoret.* (80), *Procop.* (87) literae explicandae fideliter adlaborare. Aliqua variis locis *Aug.* tractavit. Sensum spirituales et moralem aequo nimis prosecuti sunt *Ambr.* (14), *Eucher.* (30), *Greg.* (79). Latinorum, qui ante se scripserunt, explicationes congerunt *Paterius* (79), *Isid.* (83), *Beda* (91), *Pseudo-Beda* (93), *Claud-Taur.* (104), *Rhaban.* (109), *Angelomus* (115). Quorum tamen aliqui etiam *Ps. Hier.* norunt (23), auctorem se. Quaestionum Hebraicarum, quae Hieronymo quondam tribuebantur, e Iudaismo conversum, textus literalis tenacem et in Hebraeorum traditionibus versatum. *Rupert.* (167) praesens spiritualem literalem minime negligit, imo facunde nonnunquam exponit. Tandem inter antiquiores commemorandi *Ps. Aug.* duo (33), auctores duorum tractatum pridem S. Aug. tributorum, sc. De mirabilibus s. scripturae, et Quaestiones V. et N. T.; item *Hugo a S. Victore* (173).

Aevo, quo studia humaniora revivere, linguae etiam hebraeae maior adhibita est attentio. Agmen ducunt *Nicolaus Lyran.*, *Alphonsus Tostatius* dictus *Abulensis*, et *Calet.* Toti iam sunt interpretes in sensu literalis investigando. Succedunt primum scriptores sat multi, qui scholia potius quam commentarios edidere, textum brevibus hinc inde notis illustrantes; quorum aliqui hebraicae eruditionis specimina proponunt

potius, quam affirmant. Sunt horum praecipui *Vatabl.* 1343, *Sa* 1398, *Mariana* 1619, *Tirin.* 1632, *Gordon.* 1632, *Menoeh.* 1630; inter protestantes *Munsterus* 1334, *Castalio* 1351, *Amama* 1639. Quorum opera alia reperies in: *Biblia Sacra* cum selectissimis literalibus commentariis, *Venetis* 1747; alia in: *Critici sacri*, *Traiecti ad Mosam* 1624. Sequuntur iam iustae molis commentarii *Serarii* 1617, *Malvendae* 1630, *Corn. a Lap.* 1633, *Calmeti* 1790; protestantium *Drusii* 1618 (*Critici sacri*), *Clerici* 1733; omnium facile princeps *Sanctius* S. I. 1623. *Le Maistre de Sacy* (*Explication de la S. Bible* III., 1682), monialium *Portus Regii* spiritualis moderator, S. Gregorii vestigia terens, spirituales potius et moralem sensum sectatur; dum *Duquet* (*Explication des Livres des Rois*, Paris 1738-40) sensum moralem sobrie, literalem solide exponit. Novissimus accessit *Clair* in: *La S. Bible avec Commentaires*, Paris 1884. Inter protestantes eminent *Thenius* 1842 textus graeci, et *Keil* 1864 textus hebraei plus aequo tenaces. Praecipuorum, qui « *Introductiones* » conscribere, auctorum nomina supra descripta habes. Apparatu critico textus hebr. usi sumus *de Rossi* (*Variae lectiones* V. T. II., Parmae 1788), *Vulgatae Vercellone* (*Variae lectiones Vulgatae Latinae* II., Romae 1864). 1872 *Gottingae* librum « *Der Text der Bücher Samuelis* » publici iuris fecit *I. Wellhausen*, in restituendo textu saepe audax, non raro felix. Hunc librum prae oculis habemus, quando citamus « *Wellh.* » sine addito; secus adiciamus « *Prolegomena* ». Antiquiorum e catholicis criticorum labores recenset *Vercellone*, inter alios etiam *Lucae Brugensis* 1601 et *Houbigantii* (*Notae criticae* I., Francof. ad M. 1777; iam antea *Parisiis* 1733), quos sequentibus hinc inde citabimus.